DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA SISTENS QVAEDAM DE OPERATIONIBVS ATQVE VIIS MEDICAMENTORVM EXTERNORVM STASES SYSTEMATIS LYMPHATICI SVBMOVENTIVM.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV-
RINGIAE REL.
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS
A. D. II AVGVST. cIↃIↃCCLXXXXII.
DEFENDET

AVCTOR
IOANNES GEORGE IAHN
GÜSTROVIA - MEGAPOLITANVS.

IENAE,
TYPIS GOEPFERDTII.

Progr. De eo quod naturale est

VIRO

EXCELLENTISSIMO AC CLARISSIMO

F. G. T. GOENNER

MED. ET CHIRVRG. DOCT. PROFESS. PATHOLOGIAE
ET SEMIOTICES PVBLICO ORDINARIO IN COLLE-
GIO MED. ET CHIRVRG. BEROLINENSI

PRAECEPTORI SVO

OPTIME DE SE MERITO

CVIVS MEMORIAM NVLLA VNQVAM AETAS
EX ANIMO DELEBIT

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PIETATIS DECLARANDAE CAVSA

D. D. D.

A V C T O R.

En meae iuventutis primitias, exiguum magnae verecundiae animique vere grati et Tibi devinctiſſimi monumentum. Quod ſi Tibi haud plane diſplicuerit, cogita eſſe ſegetem a Te mihi demandatam, iamiam vero germinantem: Si vero nihil inveneris ſtudio elaboratum, ingenio expolitum, cogita, ſcripſiſſe iuvenem viribus adhuc incertis, gratificandi vero ſtudio, ut ſcriberet, excitatum. Vive bene, Cariſſime, vive longe, ut multis praeterea iuvenibus contingat eſſe ita felicibus, ut a Te ſe inſtructos eſſe poſſint gloriari. Vale.

PRAEFATIO.

Non vano ſcribendi pruritu incitatus ſcripſi hanc diſſertationem. Scio enim, quam ineptus huic operi dextre ſubeundo ſim, ſed cum ſummi in medicina honores ambiendi mihi eſſent, fecit voluntas maiorum, ut, cum quisque medicinae candidatus ſpecimine quodam doctrinae ſe dignum praebeat, me huic opellae ſcribendae accingerem.

Neminem vero confido dubitaturum, quin magna ſit utilitate ſtudium, quod in medicamentorum cauſis et rationibus exponendis verſatur; at vero in plerisque de materia medica ſcriptis nihil aliud invenitur, niſi ſola virium uniuscuiusque medicamenti hiſtoria et empyrica effectus ſignificatio, nulla cauſarum habita ratione. In quo, quantum equidem video, vehe-

menter falluntur, quia non, nisi cognita morbi origine, de vera et diversa medicamentorum virtute recte licet differere.

Quae quidem causa et ne alienis usus viderer studiis, effecit, ut hanc praecipue mihi sumerem materiam et dignam, de qua curatius scriberetur, et aptam meis viribus, sed ita comparatam, ut arctis cancellis vix possit comprehendi. Hinc facile quidem concedo, me hanc illamve dissertationis partem potuisse et debuisse fusius tractare, in ea tamen opinione sum, ad consilium meum nunc nec pertinere copiosam tractationem, partim quia res ipsa pluribus premitur difficultatibus, partim quia hoc mihi non sumo, ut in tam ardua medicinae parte omnia bene assecutus et prosecutus esse videar.

Volui tamen facere periculum, *quid valeant humeri, quid ferre recusent*, et pro viribus ingenii, quas sentio esse perexiguas, publice profiteri, quae hac de re sentiam. Quam bene, viderint alii me longe peritiores.

§. 1.

Quotidiana docet experientia, quaecunque medicamenta corporis ſuperficiei externae applicata, aut in loco, ubi applicantur, vim ſuam exſerere, aut intra humores reſorberi, aut corpus per conſenſum afficere, hos vero effectus variae eſſe indolis variique generis.

§. 2.

Magna quidem eſt medicamentorum copia, ex omni multitudine ea tantum mihi ſumo, quae *ſtagnationes lymphatici ſyſtematis ſolvunt.*

Neceſſe vero ante omnia eſt, ut, priusquam ipſa aggrediar remedia, brevem integumentorum viarumque, quibus reſorbentur, hiſtoriam tradam.

§. 3.

Omne corpus humanum variis obtectum eſt integumentis, quorum alia integram occupant ſuperficiem; horum praecipue natura attendenda eſt. Exterior integumentorum membrana eſt epidermis, quae natura ſua eſt tenuis, pellu-

cida et ruptu difficilis, quare eam poſt quinquaginta adeo annos incorruptam Cl. Mayer *a*) vidit. Caret et vaſis nutrientibus et nervis, ſeparatur in cadavere maceratione, in vivis autem remediis irritantibus maiori humorum affluxu. Quod quidem phaenomenon ſatis notat firmam epidermidis naturam, et aſſerit de ea Winslow *b*): „Inſenſibiles fere pororum cutaneorum „canales interius ab eadem inveſtiuntur." Cui epidermidi ſubiacet pituita membranae fere ſimilis, quae varii hominum coloris in ſe habet cauſam, cuius nomen ab eius inventore Malpighio eſt *rete* Malpighii; inaequalis eſt eius ſuperficies interna, cuius cauſa ſunt papillae nerveae; loci vero retis Malpighii ex alto ſe inſinuant in depreſſiones quasdam, quae inter cutis papillas obviae ſunt. Sublato rete Malpighii, adeſt cutis, membrana firma, ex vaſis, nervis, tendinibus et glandulis texta, cuius ſuperior ſuperficies plus, inferior minus firma eſt; Multa enim pinguedine eſt tecta, quae in cellulis accumulata nomine inſignitur *membranae adipoſae*, in qua quidem plerumque inveniuntur glandulae conglobatae ſuperficiales.

§. 4.

Ex quibus integumentis tantum *lymphatica* oriuntur *vaſa*. Satis enim notum eſt, nullas ex ſuper-

a) Mayer's *anatomiſche Beſchreib. d. menſchlich. Körpers. 1ter Theil.* 1783. p. 181.

b) Expoſit. anatomic. ſtruct. corp. human. Tom. III. Lipſiae. 1753. p. 272.

ſuperficie corporis oriri venas *a*), quare ad lymphatica vaſa me converto.

§. 5.

Lymphatica ea nominantur vaſa, quae natura ſunt tenuia et pellucida, humorem continent albidum, et ita comparata eſſe videntur, ut ſanguinem liquido recens allato repleant.

§. 6.

Quae quidem vaſa, ſi quis propius inſpicere velit, conſideret ea

a) Ratione ſtructurae, vid. §. 7.

b) Ratione originis et curſus, vid. §. 8 — 13.

c) Ratione utilitatis, vid. §. 14 — 16.

§. 7.

Vaſa itaque lymphatica duabus compoſita ſunt tunicis, quarum una eſt externa, de qua ita dicit Cl. MASCAGNI *b*): „*Obſervavi in partibus ſubtili iniectione paratis tunicam eorundem externam ſcatere innumeris cellulis, oleoſam ſubſtantiam continentibus.*“ Altera vero interna ita comparata eſt, ut duplicaturas formet crebriores, quae valvulae ſalutantur; quae quidem pli-

a) Diſſertatio de abſorptione ſana, Auct. ISENFLAMM. Erlang. 1791. pag. 32. LUDWIG *Ueberſetzung d. G. u. B. d. Vaſ. lymph. v. W. Cruikſchank.* pag. 18.

b) MASCAGNI vaſorum lymphaticorum Ichnographia, pag. 26.

plicaturae, dum cavi dimidium occupant, proſtant tanquam ſemicirculi, ea quidem lege, ut margo ſemicircularis dimidiae vaſis ſuperficiei internae adhaereat, alter vero libere in vas propendeat; marginis vero ſemicircularis medium ita eſt poſitum, ut, dum fines ab utraque parte in altum tendant, paullo ſubſideat, quo forma ſinus efficitur, qui in truncum communem patet, verſus ramificationes vero occluſus eſt. Quemadmodum vero una vaſis pars unam format valvulam, ita altera aliam, hoc quidem modo, ut recti margines ab utraque valvula protenſi ſe invicem amplectantur, et erecti cavum impleant integrum, omnesque humores arceant confluentes. — Multae et numeroſae ſunt valvulae ab interna cuticula ita formatae *a*).

Nuckius *b*) in vaſis lymphaticis aſſerit ſe vidiſſe fibras, quod tamen negat Cl. Mascagni *c*).

Omnes horum vaſorum trunci innumeris vaſorum ſanguiferorum convolutis cinguntur *d*).

§. 8.

a) Fr. Hoffmann Medic. Ration. Syſtemat. L. 1. Sect. 2. C. 3. §. 11.

b) Adenographia Curioſa. L. B. 1692. C. 1. p. 27.

c) L. c.
Nota: Quamvis neque nervi, neque fibrae muſculares in his vaſis repertae ſunt, tamen magna gaudent contractilitate, quare Ill. Hallervs affirmat, haec vaſa vi irritabili vaſa adeo ſanguifera ſuperare. vid. eius Op. min. T. I. p. 379.

d) Hac eſt opinione Cl. Caldani, ut credat, inter vaſa lymphatica et venas aliquid intercedere, quod utrumque vaſorum genus coniungat; nam agni aut hoedi bene paſti meſenterio vertebris dorſi inhaerenti ſubligato, vaſa primum lactea et lymphatica extremitatum inferiorum inflan-

§. 8.

Ramuli tenuissimi horum vasorum oriuntur ex omni corporis superficie, id est, ex intestinis, ex

inflantur, brevi vero considunt, et mox disparent. Quae causa utrum sit vera, nec ne, mei non est iudicare, offendunt vero me Cl. BLVMENBACHII (Institut. Physiolog. §. 431. Not. p. 341.) verba: „quod ista lactea non „obstantibus valvulis suis contentum chylum retrogrado „motu in ipsum intestinorum cavum repellant. Neutiquam enim invincibilem esse earum valvularum resistentiam, sed *iniquius* eas lumen vasorum absorbentium claudere *pridem notum est.*" Probat hoc, quod eo fatente, inter omnes constat,

a. Illa observatione CALDANI, — sed hoc potissimum quaeritur, quales et quantae functionum perturbationes illo facto effici in animali vivo debeant, quae applicatio huius fieri possit, quomodo exinde sequatur, valvulas facile recedere solere?

b. Phaenomeno, quod interdum fieri solet, ut mercurius (ibid.) si iniiciatur lymphaticis animalium mortuorum vasis, recedat ex truncis in ramulos. — Num ex ea demonstrari potest, valvulas omne cavum sui vasis non occludere in *vivo* animalis statu?

c) Eo, quod Darwin (ibid.) hoc motu retrogrado satis feliciter explicavit quamplurima phaenomena pathologica. — Sed his ipsis, quantum equidem video, nihil probari potest. Multae fuerunt hypotheses excogitatae, ad coelum sublatae, mox vituperatae et iam in annalibus tantummodo notatae inveniuntur. Simile huius inventi fatum futurum spero, cuius copia datur in *Kleine medic. chirurg. Abhandlungen.* 1 *Th. S. 9.* seq. et *Sammlungen auserlef. Abhandl. z. Gebrauch pract. Aerzte. 6ter Band. 2tes Stück.* p. 269. et 273. etc. Neque mihi videtur iustum, naturae leges phantasiae ludibrio subiicere, licet hoc modo explicentur phaenomena pathologica. Cl. LVDWIG (vid. eius *Uebersetzung d. Geschichte u. Beschreib. d. vas. lymph. v.* W. CRVIKSCHANK pag. 102.) quoque plane DARWINI hypothesin in medio relinquendam putat. —

Nonne id contra naturae leges sapienter institutum esset: Natura, dum vasis sanguiferis multa adderet adiumenta dedit ipsis quoque auxilio valvulas cavum integrum tegentes; an lymphaticis natura sua longe debilioribus quae

ex superficie externa, ex vasis sanguiferis, ex omnibus denique cellulis. — Multi eiusdem generis ramuli etiam ex diversis partibus coeuntes maiores paullo ramulos formant, qui si ita compositi paullo progressi sunt, aut iterum dividuntur, aut alios assumendo ramulos plexus formant subtilissimos. Quemadmodum vero trunci dividebantur in ramulos, ita, plexibus iamiam formatis, coniunguntur inter se ramuli, ut evadant trunci, qui paullo ulterius progressi denuo formare solent plexus, qui glandulis lymphaticis ab iis circumdatis fila emittunt tenuissima in ipsas glandulas.

§. 9.

Quae glandulae lymphaticae seu conglobatae sunt corpora colore subrubido, figura rotunda, magnitudine et duritie a se invicem distinguendae, quarum textura constat ex innumeris vasis tam sanguiferis, quam lymphaticis. Ita vero se habet earum anatomia. Externa earum superficies plexus sunt illi supra iam nominati, quibus remotis, apparet membrana ex ramulis vasorum tum sanguiferorum, tum lymphaticorum composita, quae vasa quoque singula in glandulam transeuntia comitari solet.

Vasa autem lymphatica ad glandulam appropinquantia, aut prius plexus formant (vid. §. 8.) aut in plures divisa ramulos directe in glandulam

quae cum ex integumentis externis maxima ex parte originem ducant, communibus careant adiumentis? Num credas, valvulas quidem eis esse attributas, sed earum functionem, licet sit pernecessaria, fieri imperfectam?

lam abeunt, et incredibiliter hinc inde disperſa, cum aliis ramulis coniuncta, flexuris et cellulis in ipſa glandula formatis *a*), e glandula iterum egrediuntur.

§. 10.

Omnes vaſorum lymphaticorum ramulos continuo vaſa comitari ſanguifera dictum eſt (§. 7.). Quaenam vero eſt cauſa, ut vaſa minimas quoque ramificationes vaſorum lymphaticorum in ipſa glandula circumdare ſoleant?

Mekelivs *b*) venas quoque cum vaſis adferentibus ita coniunctas putabat, ut chylus, obſtructis glandulis, facile ex vaſis lacteis in venas tranſire poſſit: Hoc vero negant plures primorum anatomicorum, ut et Mascagni *c*), affirmans, hanc univerſae eſſe naturae legem, ut venae filo continuo ſint cum arteriis tantum copulatae, hinc negat ullum eſſe nexum inter utrumque vaſorum genus. —

Negat etiam cl. Walter cum aliis glandulae conglobatae nervos.

§. 11.

a) Magna adhuc agitatur lis, utrum ultimi adferentium fines cum primis efferentium principiis continuo contineantur vinculo, an ultimi adferentium fines in cellulis terminentur, et ex his cellulis vaſa efferentia exoriantur. Inveni optimam huius rei explicationem in cl. Ludwig. Op. Cit. p. 77.

b) Nova experimenta de finibus ven. ac vaſ. lymph. etc. Berolini 1778. Sect. I. p. 7—9.

c) L. c. p. 32.

§. 11.

Multae vero ſunt glandulae conglobatae, quarum aliae magis verſus corporis ſuperficiem tendunt, aliae magis intus depreſſae ſunt.

Illae tantum hic noſtram attentionem prae ceteris attrahunt, ad quas inprimis referimus:

a) Glandulas inguinales, id eſt, in regione inguinali poſitas, partim a vagina tendinoſa conteguntur, partim eidem inſident. Sunt vero ſuperficiales, ut Mascagni affirmat, numero ſeptem, quoque ad tredecim usque, nec vero, quae a vagina tendinoſa teguntur, numerantur duae usque ad ſeptem. In quas omnia fere vaſa lymphatica ab extremitatum inferiorum et lumborum integumentis atque ex iſchiatica regione adſcendentia, nec non penis, ſcroti, perinaei et regionis abdominalis vaſa ſe inſerere ſolent *a*).

Vaſa autem lymphatica ea, quae ex integumentis expanſionis tendinoſae muſculi oblique deſcendentis *b*) oriuntur, ſuos habent truncos, ſua foramina, vaſa ſanguinea comitantur epigaſtrica, et in abdominis cavo diverſimode cum inferiorum extremitatum lymphaticis, ut et aliis, coniunguntur.

b) Glandulas axillares, in quas, ſi cephalica excipias, epigaſtrica, mammaria interna et colli, omnia

a) Mascagni loco cit. p. 99.

b) ibid. pag. 42.

omnia fere vaſa lymphatica ex integumentis communibus partium ſupra umbilicum poſitarum tranſire ſolent *a*).

c) Glandulas colli in regione parotidis, glandularum maxillarium et cervicis poſitas, cum quibus communicantur vaſa ſuperficiei cervicis et durae matris *b*).

d) Glandulas cephalicas, in quibus plura externi capitis lymphatica commeant *c*).

Exceptis illis epigaſtricis et mammariis internis, omnia fere ex integumentis communibus, quae orta ſunt lymphatica per has quatuor glandularum ſpecies tranſeunt *d*).

§. 12.

Poſtquam vero vaſa lymphatica, formatis pluribus ramis, ex his glandulis egreſſa ſunt, plures in truncos coeunt, ita quidem, ut aut coniungantur, et, aſſumtis ſimul pluribus aliis, progrediantur, aut ſi plures vicinae ſunt glandulae, ſtatim forment plexus, quibus glandulae vicinae cohaerent; quibus quidem intime coniunctae ſunt glandulae illae inguinales cum inferioribus illis, quae arteriae crurali vicinae ſub ligamento Povpartii poſitae ſunt.

§. 13.

Vaſa itaque lymphatica, glandula relicta, in aliam abeunt, maiores formant truncos, et diverſi

a) ibidem pag. 57. *b*) ibidem pag. 63.
c) ibidem pag. 61. *d*) ibid. p. 23.

verſimode iunguntur. Quibus omnibus peractis, partim ductu thoracico terminantur, qui, tanquam omnium maximus truncus, in venam abit ſubclaviam ſiniſtram, partim, formatis nonnullis truncis maioribus, in venam ingrediuntur iugularem atque ſubclaviam dextram. — Nullum vero eſt vas lymphaticum, quod non ſit per unam ſeu plures pervagatum glandulas.

§. 14.

In quacunque ſuperficie vaſa poſita ſunt exhalantia, quae liquores ſanguini velut inſitos exſpirant, ſed in quacunque noſtri corporis ſuperficie lymphaticorum quoque invenies oſtia, quae partes nutritioni inſervientes et ad iacturam liquoris reſtituendam aptas attrahere et reſorbere ſolent.

Quae vaſa lymphatica eorumque oſtia, ſi valde debilitata ſunt, facile fieri poteſt, ut reſorbere nequeant, fluida ergo reſtent reſorbenda, et tumor fiat oedematoſus.

Nullas habent fibras muſculares, inſita eorum functio fit vi vitali, huc accedit arteriarum vicinarum preſſio, qua fit eorum evacuatio; valvulae innumerae hic poſitae lymphae progreſſum, non regreſſum permittunt. (vid. §. 7.)

§. 15.

Quibus itaque ſub legibus varii humores perveniunt ad glandulam, ubi remoras pati debent,

plura

plura itaque exiſtunt contactus puncta, et ſic quoque intime miſcentur; Quod quidem eo magis fieret, ſi inter vaſorum adferentium fines efferentiumque principia vera eſſent interſtitia. (vid. §. 9.) Quod ſi eſſet, vis eorum certe magis debilitaretur, et obſtructioni amplior eſſet locus datus.

§. 16.

Partes alienae, ex atmosphaera et ex tractu inteſtinorum reſorptae, coniunguntur in glandulis cum partibus ſanguineis in tela celluloſa exhalatis et reſorptis; quo fit, ut humores iſti alieni magis magisque accedant naturae animali; qui quidem, ut magis aſſimilentur, valde utile eſſet (nec hoc mihi improbabile videtur), ſi arteriae, ut ſolent ubique, in glandulis quoque exhalarent liquorem, et quidem, ut nonnulli volunt, cremori ſimilem, qui, cum ex omnibus cavis oriantur inhalantia, facile poteſt reſorberi lymphaeque admiſceri.

§. 17.

Quum vero hic vaſa contentis magnam praebeant ſuperficiem, facile eſt intellectu, particulas acres vaſorum ſenſibilitatem valde irritantes hic facillime poſſe conſtrictiones et obſtructiones efficere. Id quod in variolarum inoculatione obſervari poteſt, ubi glandulae axillares, in ulceribus venereis et ab veſicatoriis applicatis, ubi vicinae glandulae intumeſcunt (hoc quidem ipſe expertus ſum in febre pituitaria), in uſu lactis

 acris

acris et crudo victu, ubi glandulae mesaraicae obstrui solent. Quo quidem in casu optandum esset, ut Mekelii observatio satis responderet veritati (vid. §. 10.); attamen, si haec morbi natura esset, facile intelligitur, malum ita praeparari succum alimentarium, quippe qui per glandulas mesaraicas naturae animali nondum satis similis factus in sanguinem illico vehatur.

§. 18.

Illam constrictionem sensim sequitur atonia, oriuntur infarctus, qua ratione eadem obstructio nunc ob causam priori plane contrariam permanet. — Attamen videtur quoque chronicus interdum spasmus causam constituere.

Haec quidem est via et ratio, ut antea iamiam dictum est, quomodo lympha per glandulas parata ad sanguinem perveniat.

§. 19.

Neque tamen praetereundum mihi est silentio, repletionem et evacuationem truncorum cum resorptione habere aliquam rationem, ita quidem, ut, quo citior et crebrior est evacuatio, eo maior est resorptio et vice versa. — Qua ex causa facile sequitur, ut minor sit alicuius partis resorptio maiori in alia parte existente; inde intelligitur ex pedum lavatione posse oriri hydropem, coryzam fluxumque urethrae. Inde intelligi potest, quare purgantia et diuretica remedia valde sint proficua in hydrope. Sequitur

tur ergo et hoc exinde, remedia truncos ſtimulantia adaugere oportere reſorptionem.

Quibus praemiſſis ad ipſa me nunc converto remedia.

§. 20.

Quaecunque remedia medicamentoſa ex alterantium ſunt claſſe. Quare neceſſe eſt, ut primum cauſas protinus enumerarem ſtaſium, deinde remedia quaererem unicuique cauſae morbificae abigendae ſatis idonea; attamen multa tunc enumeranda eſſent remedia, quorum naturam reſolventem experientia nondum ſatis declaravit, quorum tamen operationes tales ſunt, ut videantur ſtaſes tollere poſſe; quae quum ita ſint, omitto illa, et ad remedia transeo experientia praeclare comprobata.

§. 21.

Huc referuntur

A. ex regno animali cantharides plerumque ſub veſicatorii forma applicatae, quarum penetrantes partes conſtitutivae magnam habent ſtimulandi vim; ſaepius in maximis his malis proſunt ipſi loco affecto applicatae.

B. ex regno vegetabili plura, quorum

a) efficaciora ſunt, quae vulgo gummi-reſinae nominantur, in quarum ordine collocantur gummi ammoniacum, quod vi gaudet valde irritante et incidente, gummata foetida, ut aſa foetida, galbanum etc. quae ſimiliter

militer, ut cicuta, hyoſciamus, opium, crocus etc. ea ſunt natura, vt valde irritent, et praeterea quoque vi quadam propria ſpaſmos vaſorum lymphaticorum longos removeant.

Frequentiſſimus horum remediorum uſus eſt in emplaſtris loco affecto applicatis, inde in diſpenſatoriis emplaſtrum diachylon cum gummatibus, empl. foetid. S., empl. galbano-crocatum, empl. de cicuta etc. deſcribuntur.

Praeterea reſtant camphora, olea aetherea, therebintinum. colophonium etc. quae quoque fervida et irritante ſunt indole.

b) in ſtagnationibus lymphaticis recens ortis utiles ſunt herbae aromaticae, quarum ſtimulandi vis valde augetur, ſi ſub vaporis forma applicantur. Huc quoque referas baccas iuniperi, empl. de baccis lauri etc.

C. ex regno minerali

a) Salia. Huc pertinent

α) Alcali fixum, inprimis ſub ſaponis forma, inde ſapo, ſpiritus ſaponaceus, empl. ſaponaceum de Barbette.

β) Alcali volatile, quod primam linimenti volatilis partem conſtituit.

γ) Salia media ſoluta, quae, dum ſolvuntur, magnum et roborans frigus gignunt, et ſtimulanti praeterea gaudent vi. Quorum in claſſe numerantur ſal culinare, nitrum, ſal ammoniacum, quod valde

prod-

prodest cum aceto solutum seu admixto alcali sub fumigationis volatilis forma, spiritus Mindereri, aqua benedicta Rulandi, et testibus nonnullis novis tartarus emeticus solutus externae superficiei applicatus.

b) Mercurius, qui maiori et fere specifica vi in systemate lymphatico agit *a*). Cuius natura esse videtur, ut stimulet, quod plura, cum illo utimur, phaenomena satis probant; nihilominus etiam vi quadam gaudet antiphlogistica testibus pluribus *b*).

Omnia fere medicamenta iamiam memorata ad ipsam plerumque partem applicantur affectam, hac tamen cautione adhibita, ut, si medicamenta sint sub forma unguenti superhabenda, progressus vasorum lymphaticorum saepius sit considerandus, emplastrum vero semper ipsi induces parti affectae.

Huc praeterea pertinet balneum, (Galli Touche nominant) quod quidem frigore et pressione vim suam exserere solet. Magno praeterea est usu, si partes frigida et glaciali laventur aqua *c*). Ita etiam fumigationes laudantur, quae quidem, ut aceti fumigatio, valde penetrare solent.

 §. 22.

a) Hufeland's *Annalen d. franz. A. u. W. A. K.* 1ten *B.* pag. 91. Arnemann's *Bibliothek f. Chir. u. pract. Med.* 1ten *B.* 2tes *St.* p. 211. *A Treatise on the dropsy of the brain by* Ch. W. Quin. Lond. 1791.

b) *A Treatise on the venereal disease by* John Hunter. London 1786. p. 272.

c) Girtanner *Abhandl. über d. vener. K. Götting.* p. 251.

§. 22.

Quorum remediorum viribus ſatis perpenſis, facile patet, iis ineſſe principium quoddam irritans, licet hoc diverſimode ſit mixtum et iunctum. — Ex quo fortaſſe explicari poteſt cauſa, cur non idem remedium ſemper ad ſtaſes lymphaticas removendas ſufficiat. Sunt enim alia per ſe irritantia, alia, quae, dum irritant, narcoticam inſerunt vim, alia denique febrem quaſi inducendo irritare ſolent. Ea, quae ſunt natura mitiori, in fine praecipue obſtructionis glandularum inflammatoriae adhibentur, remedia vero indolis fortioris tunc praecipue locum habent, ſi ſtaſis eſt frigida, denique vi narcotica irritantia tunc praecipue mihi idonea eſſe videntur, ſi haud inprobabile eſt, adeſſe quandam vaſorum conſtrictionem ſpaſticam.

§. 23.

Quae cum ita ſint, quisque facile videt in pluribus ſtagnationibus lymphaticis adeſſe torporem et atoniam debere.

§. 24.

Ex ſuperioribus iamiam notum eſt, fieri poſſe ab debilitate et atonia oſtiorum vaſorum lymphaticorum (vid. §. 14.), ut fluidum exhalatum in tela celluloſa accumuletur. Quod ſi vere factum eſt, neceſſe eſt inveniamus viam, per quam remedia ad lymphaticorum oſtia traduci poſſint. Nulla vero alia adeſt, quam tela celluloſa

loſa; ergo talem peregrinationem tantum de remediis volatilibus et ſub vaporis forma cuti applicatis ſperare poſſumus, ſed de his vid. §. 26.

§. 25.

Variae praeterea obſtructiones in glandulis conglobatis (vid. §. 17. 18.) incidere poſſunt, quibus ſi velis remedia applicare, nulla alia ſubeſt via et ratio, quam ipſum lymphaticorum ſyſtema, cuius directio in curatione conſideranda eſt ita, ut, qui remedia glandulae applicare velit, caveat, ne cuti glandulam affectam tegenti ſuperhabeat remedia; Nam quae hic oriuntur lymphatica, non ſtatim a ſuperficie defluere ſolent, ſed ſenſim deſcendunt ita, ut ex integumentis glandulam tegentibus orta lymphatica ad alias transgrediantur glandulas ſuperius poſitas. Quare, ſi adhibentur remedia, applicanda ſunt e longinquo, hoc quidem modo, ut locus eligatur glandula inferior. Iisdem fere verbis utitur Cl. GIRTANNER a): „*Sollen die Einreibungen etwas helfen, ſo muſs die Salbe an der innern* „*Seite des Schenkels, an der Wurzel des männlichen* „*Gliedes, und im Mittelfleiſche eingerieben werden,* „*wenn z. E. die* Glandulae inguinales *litten. Ueber die geſchwollene Drüſe einzureiben, hilft zu* „*nichts; denn von der Haut gehen keine lymphatiſchen Gefäſse in die darunter liegende Drüſe,* „*ſondern alle gehen darüber weg in den Unterleib* „*hinein.*

a) *Abhandl. über d. vener. Krankh. Göttingen* 1788. p. 252.

„hinein.“ Cl. BELL ita rem explicat *a*): *„Man „wird es immer nützlicher finden, die Quecksilber-„salbe an einem Theile einzureiben, an welchen die „Gefäſse der kranken Drüſe entſpringen, als wenn „man das Queckſilber an die Drüſe ſelbſt bringt. „So wird z. E. eine Leiſtendrüſe durch Einreiben „einer Queckſilberſalbe am Schenkel und Schienbeine „gewiſſer zertheilt werden können, als wenn man „die Salbe an die Drüſe einriebe.“* Cl. JOHN HVNTER ita de hoc loquitur *b*): *„It will be pro-„per to apply the mercury according to the ſitua-„tion of the inflammed gland. If the bubo be in „the groin, then it is neceſſary to rub the mercu-„rial ointment upon the thigh.“*

§. 26.

Nihilominus frequens eſt experientia, quae docet, remedia ipſi glandulae affectae applicata effectus praebuiſſe ſatis ſalutares *c*). Quaeritur itaque, qua id fiat ratione? Num fortaſſe tela celluloſa viam aperit? Haud quidem hoc eſt improbabile, remedia illa volatilia et ſub fumigationis forma applicata poſſe telae celluloſae ſtagnationes lymphaticas ſubmovere, ſed quousque remedia illa penetrare poterunt? Nonne in quacunque cella vaſa patent lymphatica, quae ab ipſis remediis ad reſorbendum incitantur et ſtimu-

a) *Lehrbegriff d. W. K. 4ter Th.* Lipſ. 1789. p. 265.

b) L. cit. p. 274.

c) CVLLEN *Anfangsgründe d. pract. A. 4ter Th.* p. 340. s. Ill. LODERI Prael. chir. Cap. de bub. et plures alii.

ſtimulantur? Num iſta lymphatica et ipſam cutem ita firmiter cohaerentem permittere putes, ut remedia ad tunicam adipoſam penetrare poſſint? Nonne mercurius, efficaciſſimum his in rebus remedium (vid. §. 21. C. b.), longe fixior et tenſior eſt, quam ut ita penetrare poſſit? Quae cum ita ſint, facile intelligitur, multo minus remediis aditus ad glandulas conglobatas obſtructas dari, quare nulla alia reſtat via, quam ipſa lymphatica vaſa.

§. 27.

Licet itaque vaſa lymphatica glandulae affectae cum vaſis ex integumentis, quae oriuntur, glandulam tegentibus communicentur; Licet quaedam horum in ipſam ingerantur glandulam, nullo tamen modo explicari poteſt, quomodo factum ſit, ut viri, iique magnae auctoritatis (vid. §. 26.) affirment, melius eſſe remedia ipſi glandulae applicare, quam ea, ut alii eiusdem indolis auctores (vid. §. 25.) volunt, per lymphatica ex inferioribus locis quae orta ſunt, ad glandulam traducere; Nemo enim intelligit, unde veniat, ut ex integumentis quae orta ſunt, lymphatica glandulam tegentibus prae ceteris ſingulari gaudeant natura; praeterea ſi exorta eſt in tela celluloſa ſtaſis lymphatica, nulla (vid. §. 26.) aſſumi poſſunt vaſa lymphatica, quae remedia oſtiis debilitatis lymphaticorum ex profundioribus cellulis ortis tradant.

§. 28.

Cogitur itaque hoc, ut iſta remedia a vaſis reſorbeantur lymphaticis ex glandularum integumentis ortis, quae quidem ſuperficialia brevi ſe coniungere ſolent cum ramis profundioribus, ex glandula obſtructa et tela celluloſa affecta ortis, ita, ut hic oriatur trunculus.

§. 29.

Fortaſſe hac ipſa coniunctione quaedam fit communicatio. Quod mihi haud improbabile eſſe videtur, nego tamen hic motum effici retrogradum, quo remedium ad locum vehatur affectum. Argumenta hunc motum impugnantia vid. §. 7. d. In ea potius ſum opinione, ut credam, facta per remedia irritantia trunci evacuatione (vid. §. 19.), ramulos ſummo anniti opere, ut vacuum repleant recens factum, adeſſe praeterea conſenſum quendam contendo, cuius tamen cauſam, uti is eſt inter mammas et uterum, neque in arteriis, neque in nervis ponendam eſſe cenſeo; Quo quidem fieri poterit, ut aucta mobilitas ab uno ramo tranſeat ad alterum, dummodo unus ad alterum continuetur. Qui vero conſenſus ſi vere datur, facile eſt intellectu, quomodo mobilitas illa a ſtimulo prolata aut vaſis efferentibus tribuatur, et ita ad glandulam propagetur, aut a ramulis tranſeat ad oſtia vaſorum in cellulis hiantia, neque ideo neceſſe eſt, ut vaſa motum exerceant inſuetum et functioni naturali contrarium.

§. 30.

Idem fere accidit, quamvis gradu maiori, in teſticulo inflammato, qui gonorrhoeae ſuperaccedit. Quae quidem inflammatio primum per urethram proſerpit, deinde ad epidydimidem pergit, tandem ad teſticulum deſcendit; quin adeo Cl. Monro aſſerit, teſticulum inflammatum ſe vidiſſe, cum lapis per urethram tranſiret. — At vero ſi talis inflammationis progreſſus vere fieri ſolet, quid impedit, quominus credamus, id quoque in minori evenire poſſe mobilitate?

§. 31.

Haud mihi contrarius eſt Darwin *a*), qui eandem ſtatuit ſympathiam, dicens, ſtimulum unius ramuli ad alios proferri. — At vero ſaepe factum eſt in cadaveribus, ut ne iniectus quidem mercurius per glandulas obſtructas traiici poſſet. Hinc intelligi facile poteſt, quam inutilia, immo noxia ſint remedia infra glandulam paullo diutius obſtructam et ob debilitatem valde infarctam applicata; Facile enim fieri debet, ut iſta remedia materiam obſtruentem in glandulam magis magisque compellant, et cum ſolvere nequeant, ſtimulo ſuo faciant inflammationem. (vid. Bell L. c. p. 266.) Si vero haud inprobabilis eſt ſententia mea, ab applicatis ad locum affectum remediis mobilitas primum vaſorum efferentium excitatur, deinde infarctus facilius reſolvuntur.

§. 32.

a) L. cit. pag. 274.

§. 32.

Quae cum ita ſe habeant, intelligitur, remedia per vaſa inferentia applicata ad reſolvendos infarctus glandularum recens natos idonea eſſe. Etiam hoc intelligitur, ſi infarctus diu iamiam duraverint, vel ſtaſis ſit in cellulis, melius procedere oportere curationem, ſi remedia parti affectae immediate applicentur, quippe quae tum vaſa glandularum efferentia et cellularum inhalantia excitent, tum vero, facta in parte affecta frictione, materiam efficiant mobiliorem, tum denique quia partibus debilitatis robur reddant perditum.

T H E S E S.

1. *Foetum in utero materno lue venerea affici posse contendo.*
2. *Absentia glandularum conglobatarum cerebri non vasorum lymphaticorum probat defectum.*
3. *Cortex peruvianus febrem intermittentem specifica, nec solum roborante vi abigere mihi videtur.*
4. *Apoplexiae divisio in serosam et sanguineam est absurda.*
5. *Inepta est lex, quae vetat, mercurium in ulceribus venereis non prius exhibere, quam luis universalis adsint symptomata.*
6. *Sanguinis pars foetus hepar percurrens* Stahlii *phlogiston secernit.*
7. *Theoria vertiginis Cl.* Marc. Herz *multis premitur dubiis.*
8. *Clysmatibus Cl.* Kaempfii *praeferenda credo elixiria visceralia, si infarctus tenuia occupant viscera.*